

quid desideras præter ipsum? quid tibi placet sine ipso? Ipse fecit omnia, ipse habet omnia, ipse est omnia: quodcumque bonum cupis, quodcumque pulchrum quæris, quodcumque dulce & delectabile requiris, totum in ipso invenies & in ipso perfrueris, si gaudere vis, ipse gaudium est; si te pugnare delectat, ipse palma est: si coronari vis, ipse corona est; si vincere cupis, ipse victoria; si potentiam desideras, ipse potentia est: si fortitudinem quæris, ipse fortitudo est: si justitiam vis habere, ipse justitia est: si amas sapientiam, ipse fons sapientia est: Si charitatem vis, Deus charitas est: Si divitias appetis, ipse dives est: si pulchritudinem vis habere, summa pulchritudo ipse est: si plenitudinem quæris omnis boni, ipse plenitudo est: si gloriam & honorem cupis, vera gloria & summus honor Deus est: si pacem vis, pax æterna ipse est: quicquid boni quæris, summum bonum & omne bonum ipse est. Imo semper est totus desiderabilis, totus dulcis, totus amabilis, totus suavissimus & totus delectabilis. Ipse semper ubique totus est. Ubicumque fueris sine ipso, male eris & male tibi erit: & ubicumque fueris cum ipso, bene eris & bene tibi erit: Subjice igitur te totum ei, qui te totum fecit, a quo omnia habes, cujus gratia omnium momento uteris: Servi semper ei, qui non sinit te cadere in omnia peccata: qui non permittit, ut inferas tibi omnia mala ac damna, quæ libenter faceres &c. (sermone de Miseria humana) Neminem arbitror alia meditari, fari ac operari, cui cognita est salutaris ista restitutionis nostræ œconomia, cui præsto sunt thesauri cœlestes, ipso Redemptoris sanguine acquisiti, cui manifesti sunt ARTICULI illi, quibus FUNDAMENTUM FIDUCIÆ NOSTRÆ SPECIALIS substat, nititur; Agedum ergo, de his Articulis, ad Codicis præscriptum fideliter acturis nobis, in memoriam redeunt verba Redemptoris Jo. XVII, 3. *Hac est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti Jesum Christum, quod enim Salvator a cōmunionem divinæ essentia se non excludat, vel eo ipso demonstratum est, quia expresse perhibet*

bet